

15. Defuncto Attico suffectus est in Constantinopolitana Ecclesia Sifonius, Sifoniusque post mortem accitus Antiochia Nestorius, quo deinde ob hæresim in Ephesina Synodo damnato, federe depulso, subiectus est Maximianus, istique post biennium vita functo subrogatus Proclus, Joannis Chrysostomi discipulus. Jam inde ab eo tempore, quo Ecclesia Constantinopolitana præerat Nestorius, Joannis per universum Orientem festus dies publico cultu cæperat celebrari, studii populorum, & pietate Theodotii junioris qui mortuo patre suo Arcadio habenas Imperii susceperat, fueratque infans a Chrysostomo baptisati sacro fonte ablutus; sed illa festivitas majore cultu aucta est, postquam sancti Pontificis reliquæ Comanis regiam in urbem celeberrimo apparatu translatae fuerat, dum Proclus Constantinopolis regebat Ecclesiam, Theodosius selectos Senatores Comanam ad Pontum Euxinum sitam Legatos misit, qui sanctissimi Præfulis reliquias magnificentissima pompa Constantinopolim advexerunt. Quæcumque sacra ipsa deducebantur, occurrebant Ecclesiarum psallentes chori, locorumque Magistratus, populorumque frequentia cereos accensos gesantium. Theodosius Augustus cum Patriarcha & Senatu, universoque Clero principis Basilicæ obviam Chalcedonem usque sacro deposito processerunt, & cum facibus accensis, & musicis cantibus ad Ecclesiam Patriarchalem deduxerunt. Ibi Theodosius genibus ad sacra pignora provolutus veniam supplicem pro suis parentibus oravit, & gloriosissimo Pontifici se suumque commendavit Imperium. Atque ita magnificavit Dominus Sanctum suum, in quo abunde completum est istud Domini in primo Regum libro efatum: *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contempserit me, erunt ignobiles.* Sacra ista translatio contigit, ut observat Baronius ann. Chr. 438. Theodosio Augusto & Fausto Consulibus.

16. Tres quinto isto sæculo hæreses præcipuæ ab inferis emerferunt, Pelagianorum, Nestorianorum, & Eutylianorum. Pelagius natione Scotus ex insula Britannia oriundus, profectus in Palestinam, monachique assumpta professione, gratiam Christi, sanamque de peccato originali doctrinam impugnare aggressus, Cælestium nactus est discipulum, qui primus in Africa hæreses istas disseminans, sententiam damnationis accepit a Carthaginensi Concilio, accusatore Paulino Ecclesie Carthaginensis Diacono, anno 412. Cum vero Pelagius in Palestinam haberet, duos habuit accusatores Gallicanos Episcopos Erotum Arelatensem, & Lazarum Aquensem apud Episcopos Palestinæ, ad quos illi excerpta de Pelagii, Cælestiique libris capitula miserunt. Qua de re Diospoli in Palestinam quatuordecim Episcoporum convocata est Synodus, quos interrogantes citatus ad causam dicendam Pelagius, dissimulata veritate, captiosis responsis eludit. Ideoque Joannis Hierosolymitani Episcopi & Rufini Presbyteri, qui ambo Origenistæ erant, interventu, dimissus est absolutus. Anno postea 416. Provinciales Synodi Carthaginensis & Milevitana præserte Augustino Synodicas ad Innocentium Romæ Episcopum miserunt, commemorantes suo decreto damnatos fuisse Pelagium & Cælestium. Sequenti anno 417. successit Innocentio Zosimus, Cælestii, qui Romam purgandi sui causa venerat, facta professione, subdolisque Pelagii & Episcopi Hierosolymitani Praylii litteris deceptus in Africanos Patres, atque in Esotem & Lazarum indignatus est. Duos tamen præfixit menses ad plenam causam hujus cognitionem, quo spatio satagentibus Africanis, Zosimus demum amorum hæreticorum calliditate comperta, cum Cælestius clam Roma se subdidisset, utrumque secunda post Innocentii decretum excommunicatione percussit anno 418. Innocentius vero utrumque hæresiarum communione excluderat anno qui præcesserat 417. Honorio & Constantino Consulibus, ut testantur ejus epistola, prætereaque Augustinus ep. 91. & 93. eodemque prodit adversus eosdem Honorii edictum. Subsequentum est in Africa plenarium, ut ait Prosper, ducentorum & quatuordecim Episcoporum Carthaginense Concilium, quod adversus Pelagianam hæresim octo canones edidit, qui falso Milevitano Concilio attribuuntur, & quos Cælestinus Pontifex in epist. ad Episcopos Gallie sub Carthaginensis Synodi nomine profert. Hujus hæresis toto jam Orbe prostrigata patrocinium suscepit Julianus Memorii Episcopi Capuani ex legitimo præcedente matrimonio filius, eademque in sede electus successor, qui ob eandem hæresim sede pulsus & solum vertere coactus, pluribus litteris cum sancto Augustino decertavit. Successit subinde Semipelagianorum secta, quam in Galliis gliscentem idem Augustinus sub finem vitæ duobus libris de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ, oppugnavit; & post eum Prosper Aquitanicus, Fulgentius, Cæsarius, alique: & secunda Synodus Araucana damnavit anno Chr. 529.

17. Nestorius Constantinopolitanus Antistes novam hæresim innoxit, quam minime dissimulavit, ut sepe fecerant commemorati paulo ante Pelagius & Cælestius; sed aperte tum concionando, tum scribendo, tum viva voce apud Synodos respondendo professus est ad ultimum usque vitæ halitum. Duas hic hæresiarum distinctas in Christo personas, Divinam unam, & humanam alteram asserbat. Addebat Mariam Virginem nullatenus dicendam *Deiparam* *θεοτόκον*, ac DEI Matrem, sed tantum Christi, eo quod humanam ejus duntaxat personam generit cum natura humana humanitas subsistente & completa. Ad hoc restringendum nascens incendium permultum contulit Cyrillus Alexandinus Episcopus, cui mandavit Cælestinus Romanus Pontifex, ut Vicaria potestate in causam Nestorii inquireret, eumque, si fieri posset, ad palinodiam adigeret, ad quam certum hæresiarum tempus præfixit. At illo in contumacia persistente, ne longius malum exitiale ferperet, anno 431. Synodus œcumenica Ephesi coacta est ducentorum Episcoporum, qui perditu expectato Nestorius Antiocheni Episcopi, ceterorumque qui ei suberant, Episcoporum adventu, cum isti moras traherent, sive a Chrystaphio Imperii primario administrato, qui Nestorio conjunctissimus erat, subornati, sive quia popularem suum veteremque amicum civem Antiochenum damnare pigebat, Synodus tamen illis absentibus inchoata est. Terque citato neque comparente Nestorio, atque probationibus accurate discussis, Nestorius damnatus & Episcopatu dejectus est. His rite peractis, quasi ex condito Joannes cum suis, inter quos eminebat Theodoritus Cyri Episcopus, Ephesum ingreditur, nec tamen facta Synodo adjunxit, sed queritantes sibi factam injuriam omnes isti Orientales, & damnabili exemplo, alio loco simul convenere, ut ducentorum Patrum in re tanti momenti Synodum rescinderent, sique universam Ecclesiam perturbarent, fideique simul ac religionem confunderent, ut hominis damnabilis, & hæresiarum gratiam inirent, hæresisque latius propagaretur, magisque posthac infollesceret. Hæc enim confederata esse ex maligno isto secessu nemo non videbat. Istiti Episcopi comites, quos Chrystaphius in gratiam Nestorii subornaverat, Candidianus & Irenæus Nestoriana lue infecti se adjungunt, ad legitimam Synodum evertendam, omnique dolo & perveritate ad detestabilem hunc finem conspirant. Prima hujus exiguæ schismaticæque Synodi acta protinus omnem audaciam & violentiam produnt. Acta sacrosanctæ Synodi revocant, & damnant & rescindunt: neque id satis; per comites enim suos præfidem Concilii Cyrillum Legatum Apostolicum, & secunda sedis Patriarcham a satellitibus apprehensum in carcerem trudent, eundemque & Memnonem Ephesi Antistitem Episcopatum deponunt: prohibent, ne quisquam cum ducentis communicet verbis vive vocis, aut litteris; epistolæ omnes ad ducentos undecumque scriptas, aut a ducentis profectas interceptant. Cœtus vero illegitimus simulque Candidianus & Irenæus litteras scribunt Constantinopolim, alioque quaquaversum saltitum & calumniarum plenas, præsertim ad Imperatorem ejusque aulicos scripserunt mendacis refertas, quibus eorum animi magis indices exasperantur.

18. Isti tandem doli in apertum prodire. Sacra enim ducentorum synodus hominem fidelem reperit, qui militibus observatoribus inficis Synodi legitime litteras mendici habitu recepit occulte, easque arundine inclusis Constantinopolim detulit, reique perfecta veritate, mediante Pulcheria Imperatoris forore, prudentissima & religiosissima virgine, Imperator, quæcumque utrimque gesta erant, rescivit, Candidiano, Irenæoque acriter succensuit, gesta Antiocheni cum suis Orientalibus reprobavit, omnemque quam poterat, legitimæ Synodo præstitit auctoritatem; Nestorium ejusque hæresim suo proseripit edicto, ipsumque sede pulsam in monasterium Antiochenum, unde exierat, relegavit. Quia vero multos ibi hæresis suæ contagio pervertebat, in Oasin deinde exportari iussit: quo loco tabe confectus, corrosaque a vermibus maledica lingua, miserime interiit anno 436.

19. In Gallia Leporius quidam monachus Presbyter factus in Pelagii lapsus est hæresim, cui alteram adjunxit de duabus in Christo personis, qualem postea Nestorius accepit & prædicavit. Ille itaque Nestoriana prælit hæresi, ut in Leporio refert Gennadius. Sed ut idem addit, a Gallicanis Doctoribus admonitus, & postquam in Africam transiit, ab Augustino emendatus, ita ab utroque errore respuit, ut dispersis ubique libellis, veniam ubique peteret, suorumque poenitentiam errorum sebiliter manifestaret. Ejusdem quoque mentionem injicit Cassianus lib. 1. & 7. de incarnat. Verbi. Dirempta felicior quam cæperat successu Synodo Ephesina, non statim dirempta est Episcoporum simulas eorum, qui in legitima, & qui in falsa Synodo

confederant. Graves enim offensæ utraque ex parte ostendebantur. Sed tamen Theodosii studio, & admirandi Simeonis Stylitæ interventu dissidia omnia composita fuere.

20. Jam vero ad tertiam, quam supra commemoravi, hæresim progrediendum est. Eutyches archimandrita, id est Abbas Constantinopolitani cujusdam monasterii, novum confavit dogma, omne naturarum in Christo amovens discrimen: sed utramque in unam confundens Divinam, a qua quidquid in Christo apparebat humanum aborbatur ac disperdebatur: unde consequbatur, vel divinam naturam esse in seipsa mutationibus & humanis perpeffionibus, mortique obnoxiam, vel quæ pro nostra redemptione passus dicitur Christus, mera esse commenta & ludibria. Cumque Flavianus Constantinopolis Episcopus, qui Proclo successerat, Synodum Episcoporum Constantinopolim haberet, Eusebius Dorylæi Episcopus Eutychem judicio hæresis postulatit apud Synodum, qua re penitus explorata Eutychem diem dicit, ut coram se sistat. Ille de morbo excusationem prætextit, sed demum post tertium citationis edictum Synodum adit, turbulentissimis monachis, & militem manu stipatus, quos Chrystaphius Flaviano jam pridem insensus præbuerat. His munitus prædictis Eutyches coram Synodo sensum suum de naturarum in Christo commixtione audenter propugnat coram Patribus, a quibus refert damnationis sententiam anno 448. Ille prevenire volens Leonis Romani Pontificis animus, scripsit ad eum permultas querimonias, & mendacia, insinans se Nicænæ fidei assertorem injuste damnatum ab Episcoporum cum Nestorio sententiam actione, Christum personarum diversitate dividendum, seque ad supremam Romanam sedem provocante rejectum, nihil præter odium & ludibria retulisse. De his scripsit ad Flavianum Leo, a quo rei totius veritatem addidit. Inter hæc Dioscorus Alexandria post defunctum Cyrillum Episcopum, simulque Chrystaphium Theodosii & Eudoxie Augustæ animos injustis adversus Flavianum querelis præoccupant, remque persuadent ad œcumenicam Synodum referendam, in qua Flavianus non judicis sed tantum rei personam sustineat. Horum & Eudoxie suasionem Theodosius generale Concilium Ephesi celebrandum indicit, cui Dioscorus ipse præfedit. Hæc est Synodus illa quam *λατρονική* Græci, hoc est, *latrocinalem* vocant: in qua omnia per dolos perque vim apertam & militarem gesta sunt Dioscoro præfide. Hic protinus communioni, pristinaque dignitate restitutus est Eutyches indicta causa, Flavianusque sedes sua depositus, ejusque loco suffectus est Anatolius Dioscori apud Theodosium apocristarius. Theodoritus Cyri Episcopus, & Domnus Antiochenus gradu moti sunt, ac in ordinem redacti. Flavianus dum Leonem Romæ Episcopum appellat exilio damnatur, & crebris percussionibus occiditur, ejusque vacuum sedem invadit Anatolius. Leo Papa, his acceptis, Pseudosynodum damnat: quem vicissim Dioscorus Alexandriam reversus temerario ausu pronunciat excommunicatum. Gesta hæc sunt Theodosio juniore Augusto consentiente ab iniquissimis seducto, absente fore Pulcheria, quæ Chrystaphii Eunuchi, Eudoxie Imperatricis doli in suum gynæceum ad privatam fortem redacta, Imperii administratione cesserat. Veruntamen aliquanto post Theodosius objurgatam Eudoxiam Hierosolymam relegavit, Pulcheriamque in pristinas Imperii curas revocavit ultimo vitæ suæ anno, qui fuit 430. Quo eodem Marcianus belli dux cum Pulcheria, quam illa conditione conjugem obtinuerat, ut intacta, quam illa Deo voverat, virginitate, connubio sociarentur, simul cum illa Imperium dotale recepit. Spado Chrystaphius multorum criminum reus Pulcheriæ jussu peremptus est.

21. Sub hoc novo Imperio Catholica fides de Eutychiana perfidia gloriose triumphavit, aditentibus cum Leone Pontifice Marciano Pulcheriæque Augustis. His tribus visum est Chalcedone convocandum esse generale Concilium, quo damna Latrocinantis omnia resarcirentur. Itaque Chalcedone œcumenica Synodus convocata est sexcentorum triginta Patrum anno 451. Interfuerunt Leonis Papæ Legati Paschasius Lilybetanus, alique tres, ipseque Dioscorus. Adfuerunt Marcianus & Pulcheria cum Senatu in templo Virgini & Martiri Euphemiae dedicato. Latrocinans ibi Conciliabulum meritam damnationem accepit una cum Eutyche & Dioscoro. Flaviani memoria honorifice fuit restituta. Dioscorus Gangræ Paphlagoniæ relegatus, cujus in sedem Proterius est subrogatus. Alexandrinus pro Dioscoro tumultuantes Marcianus facile compefcuit.

22. Postquam Gangræ mortuus est Dioscorus, Alexandrini denuo in seditionem versi sunt, concitantibus hæreticis monachis, ductore Timotheo dicto *Æluro* monacho simul & Presbytero, qui annis & vi aperta se-

dem occupat Episcopalem, Paschalibus diebus, deturbato inde Proterio anno 457. duobus a Marciano Augusti obitu mensibus elapsis. Proterius fugiens intra baptisterium confoditur. At præcipuus hujus facinorosi auctores Leo Imperator, qui Marciano successit, linguarum abscissione punivit; Timotheum vero Episcoporum judicio reservavit, sed urgente demum Romæ Pontifice Leone, Imperator Leo Gangræ primum, deinde Chersonam Timotheum relegavit.

23. Iisdem temporibus altera ab Eutychianis seditione mota est in Antiochena urbe a Petro Cnapheo seu Fulone adversus ejusdem Ecclesiæ Antistitem Martyrium; cujus ille sedem invasit. Martyrius cedere coactus hæc alte protestatus est: *Renuncio Ecclesiæ corruptæ, clero immorigero, plebique rebellis.* Petrus Fullo Ecclesiæ illius invalore hæresim Theopaschitarum invexit, quæ est quædam Eutychianæ appendix, & ad Triflagium *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*, has voces adjunxit, *qui passus es pro nobis.* Sed mox ab Imperatore Leone damnatus exilio, in Accemetarum monasterio, Constantinopoli latuit, donec defuncto Leone Basiliscus tyrannus usurpato Imperio Petrum Fullonem Antiochiam, & Timotheum *Æluro* Alexandriam in Ecclesiæ fideique summam perniciem revocavit anno 476. Sed anno insequenti Zeno, recuperato quod sibi Basiliscus eriperat Imperio, utrumque sedibus illis repulit. Eodemque ann. 477. mortuus est Timotheus, quem post sui depositionem scribit Liberatus cap. 16. mortem sibi veneno concivisse. In locum demortui Timothei, creatur hæretici Alexandrinum Episcopum Petrum Moggum, Catholici vero Timotheum Solophaciolum elegerunt; Petrum vero Moggum Zeno jussit exulare. Antiochia quoque Petrus Cnapheus a Zenone pellitur, eique sufficit Stephanus orthodoxus; sed hunc anno 479. mota seditione gregales Cnaphei in baptisterio trucidarunt, post quem Catholici prævalentes alterum Stephanum, & huic vita functo Calendonem ambos orthodoxos succederunt.

24. Constantinopolitanæ Ecclesiæ clavum rex post Anatolium Gennadius, eximia vir pietatis & doctrinæ; huic, anno 471. vita functo successor datus est Acacius vafer & callidus homo, clam Eutychianæ addictus hæresi, sed religionis, prout e re sua esse judicabat, mirus simulator. Hujus suasionem Zeno in deteriora mutatus Joannem Zalaidam orthodoxum, qui Timotheo Solophaciolo pariter catholico successerat in Alexandrinæ regimine Ecclesiæ, loco movit, Petrumque Moggum ad eam sedem revocavit anno 482. novamque fidei formulam fabricavit, in qua Catholici perinde ac hæretici poterant consentire, cui proinde nomen *επιτομή* indidit, quasi *pacis consiliatorum*; sed intacta præfenti dissidiorum circa fidem materia, ibi tacite Concilii Chalcedonenis definitio abrogabatur. Huic Zenonis edicto Catholici constanter restiterunt, præsertim Felix III. Romana Sedis Episcopus, qui Leonis Magni successori Simpliciano Papæ anno 483. fuerat subrogatus. Hic ex Romana Synodo tres Legatos pro causa fidei Constantinopolim misit, Vitalem, Misenumque Episcopos, & Felicem Romanæ defensores Ecclesiæ; qui Acacium ad tribunal citarent Romani Pontificis, & Moggum ab Alexandrina Ecclesia depelli curarent. At Vitalis & Misenus ab Acacio vexati, cum hoc confenserunt, simulque cum Petro Moggio communicantur. Felix cum morbo impeditus substitisset, postea Constantinopolim adveniens in vincula connectus est. His offensus Papa Felix duos, qui cum Acacio & Moggio perfida prævaricatione communicantur, propriis sedibus depulsi, & Acacium sententia percussit anathematis, qui per vindictam, Felicis Papæ nomen ex diptychis Ecclesiasticis abstraxit anno 484.

25. Petrus Moggus apud Alexandriam recepto Zenonis henotico, Catholicos indiscriminatim, & hæreticos demereri studens, & Chalcedonensem Synodum nunc rejiciens cum Eutychianis, nunc approbans cum Catholicis, quibuscumque agebat, utrorumque in se odium attraxit, multique Eutychiani ejus respiciunt communionem, qui cum neque cum Ecclesia sentirent neque cum suo Episcopo convenirent, *Accephali*, hoc est, capite destituti, vocati sunt. Moritur exinde Cnapheus Antiochia anno 486. Moggus Alexandria anno 498. Acacius Constantinopoli anno 488. Acacius successit Flaviana hæreticus; Flaviana singuli hoc ordine successerunt Catholici quidem, sed schismate ab Ecclesia Romana divulsi; Euphemi, Macedonius, Timotheus, hoc solo ab Apostolica sede rejecti, quod impij Acacii nomen de suarum Ecclesiarum tabulis delere recusabant, contra Summi Pontificis præceptum, exclusionem a communione decernentis in contumaces. Diuturna fuit illa Ecclesiarum discussio, perduravitque a tempore decreti Felicis III. usque ad tempora Hormisdæ Papæ, involvitque quatuor successivè Constantinopolis Patriarchas